

*Autoris
sententia
cur Astra
representen-
tur Radiis
adventitiis.*

5. Comperimus, quod Astra, oculis nostris non repræsententur simplicia & pura, sed radiis adventitiis, partim brevibus, partim longis, ita ut corpus ipsorum multoties auctius appareat; sicut quoque in accensis candelis & faculis eminus positis, videmus, quæ noctu visæ è longinquo, multis ejusmodi radiis circumdatæ, grandiores apparent; è propinquo autem flammulam suam terminatam & exiguam ostendunt. Causa breviorum radiorum est, quia Lux (& etiam Lumen) in lævitate tunicarum, quæ supra nostrorum oculorum pupillas sunt, reflectitur, quæ reflexio cominus, ob Sphæram luminosam, non percipi potest; sed eminus, dum magis ibi umbrosus est, percipitur, nobisque videtur esse ejusmodi radios in candelis, vel quoque Astris, cum tamen super pupillas sint.

Longiores autem quod attinet Radios, illi à palpebris existunt, quanto enim genæ tenentur angustiores, tanto longiores fiunt hi radii, qui aliàs apertis genis omnino non percipiuntur. Unde quando per Tubum Opticum, *ex. gr.* Canem, stellam pulcherrimam, omnibusque aliis Fixis majorem, quæ oculo libero se nobis cum multis ejusmodi radiis exhibet, inspicimus, radiosque illos adventitios mediante Tubo ei detrahimus, discus ejus multoties conspicitur minor, cum tamen multoties debeat conspici major, quia telescopium valdè auget. *Galilæus* itaque in *dial. 3. Systematis Cosmici* putat, stellæ Fixæ diametrum apparentem primæ magnitudinis, quam vulgò duorum minorum censent, atque aliquando etiam trium æstimatam à Ty-chone, non esse majorem 5 secundis, quæ est vicesima quarta vel trigesima sexta pars ejus, quàm cæteri crediderunt. At, hoc est in Astris longè remotis, in remotissimis autem, ut & in non adeò longè remotis, irradiatio quasi nulla est; Aut enim propter ingentem distantiam & lucis debilitatem, aut (quando scil.

*Astra per
Tubum ad-
specta nul-
los habent
radios.*

*Stella vi-
dentur ma-
jores quam
deberent.*

secundum magnitudinem non adeò distant) propter Sphæram eorum luminosam, locum in oculis nostris non habet, sicut de candelis, cominus positis, diximus, & in Sole ac Luna videmus, quæ nullos habent radios adventitios, quia fortius lumen obfuscat minus.

6. Accidit insuper in Venere, quæ in suâ conjunctione vespertinâ Solem subiens, multò major apparere deberet, quam in alterâ conjunctione matutina, & tamen ne duplicata quidem videtur; Ratio hæc est, quia præter illam irradiationem, etiam in falcem sinuatur; unde dum propter cornua, lumen ejus exiguum fit ac debile, minus amplam minusque vivacem irradiationem efficit, quam cum nobis totum suum hemisphærium lucidum ostendit, sicut id telescopia demonstrant.

7. Non autem iisdem gradibus, quibus Planetas nunc majores nobis fieri atque minores comperimus, debemus apparentem magnitudinem atque parvitatem hujus vel illius Fixæ concipiendam pensitare; quia propter incomparabilem elongationem Fixarum, diameter Orbis magni (quem scil. per annum conficit Tellus circa Solem) non est tanti momenti, ut ad stellarum Fixarum adspectum, majori accessione factâ, diametri corporum illarum, varietatem aliquam valeant accipere; Itaque accessio hæc pro omnino nihilo æstimanda.

8. De Jove illud quoque hoc loco singulariter notandum, quod diameter ipsius nobis præ cæteris Planetis major appareat quam revera est, quia hoc astrum majori Atmosphærâ circumdatum.

9. Ut autem cujusvis rei denique finis est, sic tandem semper majori elongatione factâ, stellæ videri cessant: Etiam si enim stellæ Fixas (propter incredibiles distantias) non ob magnitudines earum corporum, sed spherarum lucentium videamus, tamen hæc quoque terminum denique seu finem in oculis nostris habent & omninò invisibiles fiunt.

*De diverso
Veneris ad-
spectu.*

*Differentia
inter adspe-
ctum Stella-
rum & Pla-
netarum.*

*Diameter
Orbis ma-
gni, respec-
tu stella-
rum Fixa-
rum nihil
valet.*

*De Jovis
adpectu.*

*Stella deni-
quo ob ni-
miam di-
stantiam
disparant.*